

§. 26.

Plantæ aquaticæ majori sunt tenuitate in alto, in aqua manante vel in mare; vi legis hydrostaticæ.

Exempla hanc rem illustrantia, pauca adferre liceat.

Hippuris vulgaris β. *fluitans* (Wahlenb. Fl. L.) in ipsis fluviis; α. in limo. *Juncus supinus* γ. *fluitans* (Fries. Nov. Ed. 2. pag. 92. "in amnibus rapacioribus") v). *Potamogeton rufescens*, *gramineus*, ceterique ejusdem generis, foliis natantibus in alto; in fossis autem exsiccatis foliis submersis fere destituti; quare dispositio hujus generis, ex foliis natantibus et submersis, necessariis vel non necessariis desumta, vix unquam constare poterit: siquidem folia inundatarum æque fallacia, ac ipsum, quo nascuntur elementum, videantur. Sic *Potamogeton sparganifolius* x) in

v) Pari modo *Juncus articulatus* Jemtlandiæ legitur foliis fluitantibus in amnibus.

x) Quamquam hujus semina matura nondum invenire licuerit; tamen descriptionem, brevem licet, adferre oportet. *Potamogeton sparganifolius*: Caule tereti circiter duas lineas crasso; foliis submersis exakte linearibus; supremis lanceolato-linearibus, longe acuminatis et in petiolum decurrentibus, undulatis; foliis natantibus (si ad sint) lanceolato-oblongis, subcoreacceis, longissime petiolatis, utrinque acutis; spica florifera longe pedunculata; pedunculo subæquali. *Hab.* in alto fluminum Lapponiæ Tornensis. Supra et infra Templum Karesuandense multis locis in fluvio Muonio frequens lectus